



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XV. Ter fortis desertor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

beneficio parentis se esse nutritum, ejus indulgentia libertatem civitatemque sortitum. At hæc ipsa patronus liberto suo contulit, quæ filius à parente percepit. <sup>1</sup> Perinde beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur. Addictus nunquam sperat libertatem: negligenter enim & contumaciter servit, qui servire non novit. Quid mihi abdicatorum objicies legem? Ego si quasi filius experirer, merito ut abdicatus expellerer. Utor patroni actione, non filii. Quid enim? si non esset manumissus, peculium servi mei peteres? Specta defuncti conditionem, quæ fuit mortis tempore, non quæ aliquando præcessit. Siftitur venalis pater, <sup>2</sup> non festinat hic bonus filius? non denique metuit, ne illum redimat abdicatus? filius incolumi dignitate non potuit explicare, quantum abdicatus explicuit. Quotiens se pater pœnitere confessus est? quotiens de hujus simplicitate conquestus? utinam licuisset addicto exercere jus patrum: esset hic abdicatus, hic filius. Bona ipsa meo sunt labore quæsitæ, unde senex testari noluit, ne mihi quasi suum relinqueret, quod meum sciret. Tu illud prius consumpsisti patrimonium, illud amplum, <sup>3</sup> illud quod vobis parabatur hæredibus: ego postulo tenue libertinum, quod vix sufficit ipsius funeri. Hic enim quando sepeliet jacentem, qui noluit redimere venalem?

## X V.

*Ter fortis desertor.*

DESERTOR CAPITE PUNIATUR. TER VIR FORTIS MILITIA VACET. PRÆMIUM VICTOR IMPERATOR ACCIPIAT. Ter virum fortem imperator coëgit ad bellum, coactus deseruit: imperator præmio impunitatem desertoris petit: desertor contradicit.

## PRO DESERTORE.

**A**equo animo imperator ferat, si quem virum fortem senserat obsequentem, desertorem videat contumacem?

<sup>1</sup> Proinde beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur. Pith. | vel delendæ interrogationis notæ. Idem.  
<sup>2</sup> Non festinat.] Vel legendum, Num, | <sup>3</sup> Illud quod vobis parabatur.] Lege: quod duobus parabatur hæredibus. Gron.  
 V v 3

cem? nec pœnam possum recusare post culpam, nec veniam sustinere post gloriam. Miserum me, cujus nec infamia potest latere nec gloria. Non ante rempublicam quam me ipse deserui: armis & telis honestissimum corpus oneravi: &, quod non sine piaculo factum est, consecrata jamdudum arma deposui. Sto & pugno pro legibus. Aliter enim fortiter facere jam in hac ætate non possum. <sup>1</sup> Grata sunt & crimina desertoris, apud quem nihil valuerunt privilegia viri fortis. Novum genus damnationis. Ignoscere vos nolo: cur enim dubitem per infamiam senex emori, qui etiam juvenis optavi <sup>2</sup> sæpe gloriam?

## XVI.

*Rapta tacens.*

LEX RAPTARUM. Rapta producta ad magistratus, tacuit & flevit: magistratus de raptore supplicium sumpsit: puella se interemit. Reus est magistratus, quod causa mortis fuerit.

## CONTRA MAGISTRATUM.

**R**Eum cædis unius arcesso, qui duos pariter occidit. Reditus huic reo misericordiæ clausus est: quid enim sperare poterit à lacrymis? <sup>3</sup> juvenis etiam facies liberalis, qualem nemo non sibi aut filium optat aut generum? Is cum puellæ peteret nuptias, diu peteret: etiam sperare cœpisset, festinavit ut amator: & quid dicam, rapuit an duxit? Virgo, quod solum potuit, nihil quæsta est. Quis non inhorruit, quis tecum puella non flevit? Dicat nunc. Libuit & licuit. Cujus hæc, an regis oratio est? nec erat arbiter judicii sui, sed minister alieni. Tacuit inquam. O mira & muta sententia! Omnes sciunt lacrymas ex uno misericordiæ fonte manare, in amore vel maxime: nam iisdem oculis quibus amatur, & fletur. Miser ille, quem nullo accu-

<sup>1</sup> Grata sunt &c.] Lego ei. Pith. non sibi aut filium optet aut generum, is, cum puellæ peteret nuptias, & diu peteret, & jam sperare cœpisset, festinavit, ut amator, &c. Το is eleganter & ex more veterum περιπέλει. Gronov.

<sup>2</sup> Sæpe gloriam.] Lego, sæpe per gloriam. Idem.

<sup>3</sup> Juvenis etiam facies liberalis.] Lege, Juvenis etiam facie liberali, qualem nemo